



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De diuina castigatione, quæ probandæ atque explorandæ virtutis causa
fit. cap. li.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A Qui multa peccata perpetrant, nec poenis ullis afficiuntur, in metu ac formidine versa-
ri debent. Per impunitatem enim supplicium eorum incrementum sumit.

Cum improbe ac flagitiose viventes, secunda omnia habemus, tum maxime discrucie-
mur. Nam cum semper, dum peccamus, metu affici debemus: tum praeferim nobis extime-
scendum est, cum nihil aduersi patimur. Etenim cum Deus sigillat pœnas a nobis expe-
tit, id agit, ut lenis nobis eorum persolutio sit.

Qui vitiorum sordibus prorsus infecti sunt, iis optatius esse debet puniri, quam venia
donari. Venia enim eos, non secus atque naugia quædam fundo carentia facile subuertit.
At supplicum eos emendat, atque in meliorem viam reducit. Quocirca nos, quos sceleru-
nostrorum conscientia arguit, supplicibus precibus a Deo postulemus, ut de nobis potius

B pœnas sumat, quam impunitos relinquat.

De diuina castigatione, que probandæ atque explorandæ virtutis
causa fit.

C A P. L I.



V A E P O S T Q Y A M gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & Gen. 22.
dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit, Adsum.
Ait illi, T o te filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, &
vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum
super unum montium, quem monstrauero tibi.

Recordare cuncti itineris, per quod te adduxit Dominus Deut. 8.

C Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, at-
que tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo versabantur, utrum custodiens il-
lius mandata, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod igno-
rabas tu, & patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane viuat homo, sed
in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Tentat vos Dominus Deus ve-
ster, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non.

Num reuicio iudicium? Aut putas aliam ob causam oraculum tibi edidisse, Tob. 38.
quam ut iustus appareas?

D Probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxi- Psal. 65.
sti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines
super capita nostra. Traxisimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refri-
gerium.

Beatus vir, qui suffert temptationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet co- 1ac. 1.
ronam vita, quam repromisit Deus diligentibus se.

E Cum Dei vocem Abraham audiisset, Accipe filium tuum, & super unum montium Chrysoph.
iugula eum, magna cum animi alacritate opus id exequebatur. Etenim Sarra uxorem suam
celauit, & pueros fecellit, atque filio duxerat comitatus, ad montem consendebat, non
animo fractus, nec ignavia laborans. Cogites velim qualis tum beatus ille vir erat, ac cu-
iusmodi viscera induerat, cum solus solum filium alloqueretur. Nam tum precordia ve-
hementius incalcent, ac vis amoris maiores flamas concipiunt. Quenam orationis facul-
tas senis illius robur animique magnitudinem exprimere queat? nempe quoniam pacto eum,
vincit ipsius manibus ac pedibus, super ligna collocarit. Cum autem pueri faucibus fer-
rum iam intincturus esset, duplice vocem misericors ille Deus misit, Solue puerulum. Qui
fieri potuit, ut manus non obtorquerit? ut nerui fracti, ac debilitati non fuerint? ut non
concederit pueruli faciem prospiciens? Videte senis fortitudinem. Eterum filium suum ob-
truncavit, si non manu, at certe anima studio ac promptitudine.

F Non quisquis ergo rotat, ob peccatum in morbo versatur. Sunt enim, qui, ut eorum probi- Didymis.
tas eluceat, aut etiam ob utilem aliam causam in calamitates coniiciantur.

Quandoquidem iidem casus peccatoribus ac iustis contingunt, non est existimandum om-
nes, qui in adversitates aliquas inciderunt, ob antecedentem improbitatem, calamitates hu-
iusmodi subuisse.

Aa iiiij